

Denique intendebat si precium frumentorum cresceret: quod vellet instare pro redditione vel solutione in equivalenti utputa in annuis redditibus: sicut & fecit. Item ipse A. quoniam conveniebat de fixo die: secundum cuius diei forum precium frumentorum solueret: ipse A. speravit: quod fierent maioris precii: licet non intenderet recipere aliquid: ultra iustum precium communis fori istius diei. Queritur an huiusmodi contractus emptionis annui census licitus sit: & iure validus: Preterea queritur. An ipse A. propter intentionem suam superius descriptam: & ex eo quod non fecit misericordiam ipsis debitoribus in tempe necessitatis: exactionem solutionis differendo amplius: obligatus sit ipsis B. C. D. et E. in iure & foro conscientie: Item in quibus: & in quanto cuilibet: Item ipse A. simile fecit cum colono: de frumentis sibi extantibus in preteritis gultis: sicut fecerat cum B. C. aut. D. Querit an sit par ratio iuris cum priori casu:

Responsio Magistri Iohannis Symler Argentiniensis Licenciati in utroque iure.

Quonia ex themate mihi proposito in scriptis: non potest elici factum omnino certum & determinatum. Et hoc ideo/quia non specificatur in facto: an isti contractus mutui inter partes successive habiti: fuerint cum omnibus illis qualitatibus & adiectionibus in themate expressis: celebrati: an vero non. Quia videlicet creditor simpliciter mutuaverit annonam antiquam: ut debitores et quilibet eorum post tunc futuram: modo preteritam messem: redderent novam. Postquam igitur factum cum quadam incertitudine proponitur: super eo non poterit dari certa iuris responsio ut patet per textum in c. de muliere despon. & in c. de symoniace. de symo. & in l. ut responsum. C. de transacti. ubi expressus textus dicit: ut responsum congruum recipias: inferre pactum exemplum. Et quia in proposito non videtur mihi certum pactum exemplum: perfecto nihil mirum: si non sequeretur